

FELICIS OSII  
MEDIOLANENSIS  
QVERELA  
IN OBITVM  
PATRIS CÆSARIS ISNARDI  
E SOCIETATE IESV.

AD  
PERILLVSTREM  
IACOBVM PHILIPPVM  
LANDRIANVM  
IVRISCONSULTVM.



MEDIOLANI,  
Apud Iacobum Mariam Medam, 1605.  
*Cum licentia Superiorum.*



FELICIS OSSI

MEDICLANENSIS

OVERELLA

IN OBITUM

PATRIS CAESARIS ISNARDI

E SOCIETATE 1554.

AD

PERILEVSTRUM

JACOBUM PHILIPPUM

LANDRIANUM

JACOBUM



MEDICLANI

Apud Jacobum Martinum Medicum, 1605.

Cum licentia superiorum.



PERILLVSTRE  
IACOBO PHILIPPO  
LANDRIANO

IURISCONS.

FELIX OSIVS.



ANDEM aliquando ea se se mihi obtulit occasio, qua & erga Cæsarem, Isnardum præceptorem meum, virum citrà omnem controuersiam eruditissimum, beneuolentiam meam posteris patefacerem, eademq; via, ut aiunt, obseruantiam quoq; in te meam probarem. Beneuolentiam quidem Musis illum cõmendans meis; obseruantiam verò in te meam Musas ipsas, hoc est ipsa carmina nomini tuo consacrans, sub cuius immortalitate prodire possent tuta, nec inuidorum sibilum perhorrescere. Quorum iustum illud quidem est, hoc verò debitũ. Illud p̄ceptori; hoc verò Humanitati tuæ. Repetere enim à me propè suo iure hunc fructũ debebat is, cuius aliquandiũ hortatu, p̄ceptisq; conformatus, liceat mihi hoc loco Simonis illud Terentiani vsurpare, è seruo libertus factus sum, vt eius beneficij memoriã nequaquã paterer apud me frigescere, agnoscerem potius, ut possem, gratiam carminibus illi meis aliquã referens; cũ tamẽ mihi metipsi cõscius imbecillitatis meę, nec illi parẽ gratiã agere, nec habere me posse, vnquã animaduertere, dubitaremq; sũmoperè ne meis ineptijs plus multo fuliginis, ac tenebrarũ, quã lucis inducerem

A ; eius



eius nomini, Chærio similis, cui<sup>9</sup> scripta plus multò probri, quàm laudis pepererunt Alexandro; mihi verò plus multo dedecoris, quàm famæ, si fottè mearum me Musarum pœnitens, sumpto de ijs supplicio, abortiuas hæc adolescentiæ meæ nugas Veneris marito cū Politiano deuouerem; videremq; præterea diuersis me omniuo stimulis ad hoc incitari, Amoris scilicet, & Doloris, quorū alter, ut est in prouerbio, me musicam docebat, lamētationem alter; attamen hos ita inter se cōciliaui, ut musicā cum lamentatione coniungens flebile carmen scripserim, & elegiacū. At hoc Humanitas in me tua, à qua cū me multis officijs cumulatum, beneficijs etiā quā plurimis animaduertentem, atlanteo onere quid grauius humeris meis impositū esse sensi per id omne tempus, quo meam in te obseruantiam ostēdere non potui. At inquires quid ita? quid ad obseruantiam in me tuam ostendendam ignoti mihi laudes cōsecrare? Ignotus ille tibi quidem de facie fuit, virtute verò debuit esse notissimus. At rursus nonne eruditiores alij, & eruditorum hominum amantiōres degunt? At ego te eruditissimum, & eruditorum hominum amantiōssimum duco, Musarumq; mearum Mœcenatem non sine aliqua voluptate prædico. Munusculū hoc igitur qualecūq; est, quod tamen hisce de causis nulli nisi tibi dicandū esse cēsui, ea, qua soles animi, ac vultus hilaritate accipias, non inisq; tui splendore lætus illustres.

*Exiguum renuens munus si magna requiris,*

*Grandem cum tenui carmine sume animum.*

*Vale, meq; tuam secutus humanitatem iuua.*



FELICIS OSII

MEDIOLANENSIS

QVEREELA

IN OBITVM

PATRIS CÆSARIS ISNARDI

SOCIETATIS IESV.



*Levilis incomptos mecū laniata capillos,  
Vnguibus humentes dilacerata genas,  
Tempora ferali tristis ridimita cupresso,  
Eliciens oculis flumina larga pijs,  
Vesteq; mutata, pullo circumdata limbo  
Fletibus, & tristi cuncta replens gemitu;  
Nec solitis Elegia modis corde excute luctus,  
Et nostram fletus per freta pelle ratem.  
Da mihi te tristem, dum tristia carmina fundo,  
Et tristes lachrimas tristior ipsa cie;  
Vos quoq; Pierides querulo suspiria corde  
Ducite, nam vester Delius heu periit:  
Castalio pro fonte fluat fons luctus in equor  
Ille suis posthac auetus eat lachrimis.  
Omnia sint lachrimæ, rigeat sine frondibus arbos,  
Terra neget flores, Hybla, & Hymettus apes,  
Arboreos sine more gemens nunc Populus artus  
Humeſcet, guttis commaculetq; suis.  
Neſtoream Cæsar dignus superare ſeneſtam,  
Ante diem raptus, contumulatur humo.*

A 4

Cæsareum



Cæsareum Cæsar meritis cum laude triumphum,  
Contemptus vili nunc iacet in tumulto,  
Rhetoricæ Cæsar Doctus, sermone disertus,  
Flumina qui poterat sistere, & ore feras,  
Tinxerat Aonidum Cætus cui nectare linguam,  
At quæ Aganippæus sparserat ora liquor,  
Argolica, & latia agnorat quem lingua parentem  
Graiugenum spernens, Romulidumq; decus,  
Nunc iacet exanimis, demptum sibi deflet Apollo,  
Flent Musæ, Argolica, & Lingua Latina gemunt:  
Efferæ Mors illum nostris surrepsit ocellis,  
Hæc potuit tantum surripuisse virum;  
Efferæ Mors tanti nobis fuit vna doloris  
Causa, hæc ex oculis elicuit lachrimas;  
Mors fera, qui Rhodopes dixit te è cantibus ortam,  
Aut ubi quid dura durius est silice,  
Qui sine luminibus finxit, Regumq; coronas  
Calcantem pedibus, purpureasq; togas,  
Næ mihi veridicos versus cecinisse videtur?  
Vera quidem; veri quin magè vera fide.  
Es sine luminibus, quòd nulli parcis. & æqua  
Falce metis magno quicquid in Orbe viget;  
Stemmata conculcas pedibus, quòd falce recidis  
Reges, nec Regum flecteris imperio,  
Torna togas spernis, quod te nequè flectere Virtus,  
Nec possunt Musæ, sed fera cuncta domas;  
Nam capiti Isnardi renuisti parcere, & illum  
Funere mersisti funeris impatiens;  
Ipsa licet Virtus germinans suspiria corde  
Dilaniata comam, dilacerata genas,  
Pieridumq;



Pieridumq; chorus lachrimarum gurgite deflens  
Hec cuperent secum funere posse mori;  
Efferat Mors, fera tela nimis, fera lumina, falcem  
Orbi credulem, quæ bona tanta rapis;  
Namq; haud Isnardum Mors Orbi surripis vnum,  
Isnardiq; decus; sed magè flenda rapis,  
Dum rapis Isnardum, rapiuntur funere in vno  
Phæbus, Honor, Virtus, Musa, Minerva, Lepos,  
Ab dolor? ab lucus? crudelia, & impia fata?  
Ab semper votis fata inimica meis?  
Ab scelus? ab facinus? magna virtute decorus  
Dum nobis Doctor traditur Eloquii,  
(Nil etenim obscurum fuerat, nil vindice dignum,  
Quod non ingen. o vinceret ille suo)  
Cæperat Eloquii dotes vix pandere, & omnes  
Quas benè Musarum nouerat ille vias;  
Hunc Iuuenes adeunt cupidi mira arte docentem  
Noscere, & Isnardi pellere fonte sitim,  
Tàm benè, tàm bellè cunctos, placidèq; docebat,  
vincire officiis doctus vbiq; Viros,  
Ut sua per cunctas irent præconia gentes,  
Illum diligere, suspicerentq; Patres;  
Ipse ego sum testis solitus tanta arte docentis  
Dulcius eloquium mente liquare fauis:  
Mors illum subitò cum funere mersit acerbo,  
Passa, nec est meritos seua videre dies.  
Scilicet hoc nostris deerat mi Isnarde ruinis,  
Ante tuum ut nobis subtraherere diem?  
Siccine te primo fugiens in limine ludi,  
Spes tua frustrata est, meq; Patres q; tuos?

Siccine



Siccine tu patriæ tam longè a finibus ora?  
Mortem obiens, linqvis, meq; Domumq; tuam?  
Heu miseræ Matri, miserosi Fama Parenti,  
Extremum refert te perÿsse diem?  
Omnia conspicio lachrimis sine fine profusis,  
Cunctaq; præ nimio mæsta dolore queri;  
Et miseram Matrem pugnâ, heu, pectus honestum  
Lædere, & implicitas dilaniare comas,  
Tristibus & lachrimis Patrem sibi fata precari  
Ultima, & hæc querulo subdere pauca sono,  
Tunc Isnarde iaces nostræ spes maxima vitæ,  
Maxima cura animæ, dimidiumq; meæ?  
Nec prius ipse tibi potui, vel tangere dextram,  
Vel solito aspectu, colloquioq; frui;  
Nec pater exanimi nato libare suprema  
Oscula, nascenti, quæ tibi prima dedi;  
Quam tua in æternam premerentur lumina noctem,  
Et parius tegetet membra sepulta lapis?  
Has lachrimas certè nostri pro pignore amoris,  
Nateq; pro nostris omnibus officijs;  
Imperiosa vetant quando tibi tradere fata  
Patrem posse aliud suscipe fronte hilari.  
His certè genitor complebit cuncta querelis,  
Funus ob exanimi Cæsaris exanimis;  
At quibus ipse Polum complebo vocibus ægri  
Pectoris indicibus? quos dabo ab ore sonos?  
Ipse etenim ut lethi illius mihi venit ad aures  
Non expectato nuntia Fama pede;  
Non minus ingenui, quam sit doliturus vterq;  
Et Pater, & Genitrix Cæsaris interitum,

At



At licet impediar lachrimis, nec verba referre  
Vlla queam, tamen hæc pauca referre libet.  
Tunc, ego post varios casus, variosq; labores,  
Quem rebar studiū spemq;, decusq; mei,  
Quem mihi lætabar Musarum posse recessus  
Pandere, iocundos Pieridumq; iocos.  
Nunc cadis extinctus crudeli funere? nunc me  
Flebilibus miserum linquis in exequiis?  
Ut mihi non aliud post hæc mea gaudia linquas,  
Quam tumulum lachrimis posse rigare tuum;  
Quam satius fuerat, nunquam ut mihi cognitus esses,  
Liquisses patriæ nec vaga regna tuæ,  
Quam satius fuerat tantos renuisse labores,  
Nec caput eloquiū supposuisse iugo;  
Non etenim tanto flerem tua funera fletu,  
Non irem in liquidas fluminis instar aquas,  
Non ego conspicerem quot soles fulgere, tristes  
Heu misero quereret tot mihi adesse dies;  
Non me suspirans macerarem tristis, in Axe  
Quando nitet fuscis Cynthia vecta rotis,  
Nec quum cuncta silent Terris, deffessaq; somnus  
Membra leuat, curas lenit, & alta quies,  
Tristibus vrgerem lachrimis in somnis Olympum,  
Nec tua circa oculos iret imago meos,  
Non mihi Neptuni cuperem cum fontibus vndas  
Posse dari, vt dignis te gemerem lachrimis.  
Ast quoniam hæc summi vis est superna Tonantis,  
Qui vitam arbitrio datq;, adimitq; suo,  
Incassumq; miser lugubria verba profundo,  
Verba aures Cæsar non aditura tuas,  
Tristibus



Tristibus impono lachrimis finemq̄, modumq̄,  
Te tamen hæc rursus Mors inimica volo;  
Isnardum cur nam lethali falce necasti?  
Nec passa es tempus viuere ad vsq̄, suum,  
Illum surripiciens, nunquid tibi sceptrâ parare  
Credideras, Terris perpetuumq̄, decus:  
Falleris? en uiuit, quem te feruisse putabas,  
Cæsar perq̄, virum clarior ora volat.  
Non sinit hunc virtus peruisse, nec almus Apollo,  
Non sinit Aonidum, Pieridumq̄, chorus.  
Non Pietas, non cana Fides, non Fama, Leposue,  
Religio, aut verus simplicitatis amor,  
Non qui carminibus vates præconia tollunt  
Cæsaris, altisona concelebrantq̄, chely,  
Illum surripiciens nunquid sommergere in vudis  
Elisijs, nigro crediderasue Erebo?  
Falleris? en cælo ludit, ducitq̄, choreas,  
Dum lætus Iesu conspicit ora sui.  
Te falce, ut cuperes propria feruisse, nec illa  
Isnardum nostro nunc rapuisse choro;  
Hanc culpam in Parcâ, ut cuperes cõferre, nec illum  
Culpa heu te nobis surripuisse tua,  
Insidijsq; tuis vita cæssisse, nec illum  
(Hac abuisse tuo, non obuisse, dolo;  
Ex indignato vt tales gemebunda querelas  
Ore dares, ni ægro victa pudore fores,  
Cum tua tela tibi aspiceres, tua spicula falcem,  
Et nocuisse pedes, & nocuisse manus,  
Quem ferij telis demens, quem stulta sagittis  
Confodi, qualem surripuiq̄, virum;

Hunc



Hunc ferū , qui me ferūt , propriūsq; sagittis  
Confodit, rapui, qui mihi me rapuit;  
Isnardum ab nunquam ferūsssem, vel rapuissem,  
Fodissent talem spicula nulla virum,  
Ista dares, fateor, tristi mors improba ab ore,  
Incusans falcem, tela inimica, tuam.  
Nunc sua quandoquidem Virtus fulgentior auro,  
Insonti fregit tela inimica manu,  
Sublimemq; tulit deuicta ex morte triumphum,  
Et celso viuit, viuet & vsq; Polo,  
Surrupuit Terræ, quem Mors benè cauta periclis,  
Surrupuit vestro quem malè cauta choro,  
Pergite carminibus vates celebrare, vicissim  
Aonides querulis concelebrate modis,  
Vt quas non potuit, celebratus carmine, in Axe  
Innumerasq; solo viuat olympiadas,  
Carmina namq; homines magè post sua fata vigere,  
Oraq; doctorum peruolare iubent.  
O mihi si dabitur Permessi scandere collem,  
Posseq; Castalio labra rigare lacu,  
Versibus haud Cæsar nostris indictus abibis,  
Carminibus nec me vincet Apollo suis,  
Nec mihi si cedit luclus, concedet Arion,  
Nec qui tartareas carmine mulsit aquas,  
Attamen interea nostri monumenta doloris  
Hæc cape, & eximij pignus amoris habe,  
Victuris mando quæ tot post secula chartis,  
Quot fertur placidos Nestor obisse dies.  
Quæ ne situs putris premat, aut longeva vetustas,  
Figere marmoreis est mihi cura notis,

Qui



Qui nullis nocuit, qui multis profuit, tlli  
Mors nocuit, nimis ab Mors inimica bonis,  
Nunc iacet hoc tumulo ; at fallor , nec spicula Mortis  
Huic nocuere , iacet nec minus hoc tumulo ,  
Sed quæ Mors nocuit multis , huic profuit uni ,  
Quod cælo æternos viuit , agitq; dies ;  
At si FELICIS rupissent stamina Parcæ ,  
Tempore, quo Isnardum surripuere sibi .  
His quoq; cæsa notis eadem foret urnula . FELIX  
HIC IACET ISNARDI KAPTVS AMORE SVI .





INSIGNIA

IN AER





